



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Antonius De Padva. 13. Junii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

250] 413. [69]

# S. ANTONIUS DE PADVA.

13. Junii.

Dico vobis quoniam omne verbum  
otiosum quod locuti fuerint homi-  
nes, reddent rationem de eo, in  
die iudicij; ex verbis enim tuis  
justificaberis & ex verbis tuis con-  
demnaberis. Matth. cap. 12.

**A**NTONIUS, quem vulgo Patavinum dia-  
cunt, S. Francisci discipulus, suis ad  
concionem verbis, à flagitiosa vita quam  
plurimos revocavit. Eam ob rem cum oculi  
dolerent inferno hosti, decubentis in te-  
stulum spiritum elidere fauibus interceptis  
aggressus est; sed ille unico Mariæ nomi-  
ne simul viam loquela fecit, simul infida-  
torem in fugam dedit. Hæreticum, qui sa-  
cræ Eucharistie cultum negaverat, ad sani-  
tatem mentem & ipsum reduxit. Cum enim  
mulus impii à negato aliquam multis die-  
bus, sed præbito demum laute paulo, ad  
Antonium vocatus accurrisset, sanctiusque

Dd 2

Epulum

Epulum pronus in pedes adorasset, sapere à  
jumento suo etiam Dominus didicit. Pro  
concione funebri lucrionis cuiusdam pa-  
lām edixit, illum æternis inferorum flam-  
mis addictum esse, ejusque adeò rei indici-  
um fore, cor illius non pectorē, sed arcā  
cum nummis suis clausum. Præter alia  
multa, quæ fecit admiratione dignissima,  
puerum demortuum vitæ reddidit, quod is  
parentem Antonii de homicidio accusa-  
tum, innocentem absolveret. Supremum  
ægrotantem Christus invisit, obitum verò  
eius per urbem fando infantes vulgārunt.  
quò minori eloquio, hòc majore virtutis  
præconio. Ex Surio.

## M E D I T A T I O

*De moderatione lingue.*

1. **T**rigesimo secundo à morte S. Antonii  
anno observatum est, linguam ejus in-  
corruptam & integrām esse, quasi recens foret ab  
obitu; quo miraculo Deus remuneratus est re-  
ctum usum linguae, quæ de Deo cùm ex æquo,  
rum ex superiori loco semper loquebatur. Tu ve-  
rò, an semper de Deo vel cùm Deo loqueris?  
An cor cum lingua congruit, cùm dicis Domino,  
dolere te de peccatis, eumque ante omnia amare?  
*Aliud quippe ora hominum, aliud corda agans, dum  
vegas*

1850) 425. (1850)  
verbis praterita mala plangunt, sensu futuro meditantur.  
Salv.

2. Potes quidem variis de rebus loqui, dummodo, quæcumque dixeris, ad Deum referantur. Solari moestos, peccatores arguere, commissa tibi temporalia verbis exponere, & alia id genus profundit saluti, si rectus fuerit dicentis animus. Itaque omnia verba tua serviant divinitatem gloriae. Imitare nascentis Ecclesie Christianos. Ita fabulantur, ut qui sciant Deum audire. Tertul.

3. Dei causa tacendum est, dum calumniis tua fama dilaceratur; dum morderis scommatibus, quæ quidem ingeniosè retorquere posse; dum nascitur occasio te laudandi, vel alios criminandi, abstine verbis otiosis & maledicis: cave, ne verba tua sint aliis offensioni. Tacere nosse, quæcum loqui, difficilium est. Ambr.

---

## S. BASILIVS MAGNVS.

14. Junii.

*Non enim habemus hic manentem civitatem. sed futuram inquirimus.* ad Hebr. c. 13.

**M**agnum esse BASILIUM, ad ardentis columnæ faciem D. Ephrem vidit.

Dd<sup>3</sup>              Magnum